



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. LXXV. De Restitutione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

dit de per se ; & tunc non censetur peccatum nisi veniale. Tambur. *dict. cap. 3. §. 3.*

13. *Quer.* Qualia peccata sint furta domesticorum, vel amicorum ? *Resp.* Si fiant in quantitate notabili ; & res non consumetur in opere, ad quod alias ipse Dominus erat obligatus, vel obligandus, peccata mortalia erunt. Ideo talia censentur furta uxorum, filiorum, vel parentum, qui notabilem rem surripiunt, & male expendunt. At non talia, si in re necessaria domus, vel suæ personæ eam convertunt. Tambur. *dict. lib. 8. in Decal. tract. 2. cap. 3. in fine.* Porro, notanda sunt tres Propositiones damnatae ab Innocentio XI. & sunt la 36. 37. 38. quæ sic afferebant. *Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.* Item : *Famuli, & Famula domestica possunt occultè Heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam maiorem iudicant salario, quod recipiunt.* Item : *Non tenetur quis sub pena peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.* De earundem falsa doctrina differt Cardenas in *Crisi Dissert. 23. per totam.*

14. *Quer.* Quid sit Rapina ? *Resp.* Est acceptio rei alienæ per vim. *cap. Penale, 14. quest. 5. leg. 1. C. de Vi bonorum raptor.*

15. *Quer.* In quibus rebus committatur Rapina ? *Resp.* Secundum Canonistas committitur in rebus mobilibus, non etiam immobilibus, aut personis, quorum raptores dicuntur Prædones. Abbas in *cap. 1. de Raptorib.* Sylvester in *Verb. Rapina.* At secundum Theologos hæc non distinguuntur in foro conscientia. Et hæc est differentia rapinae à furto ; quod illa, præter damnum, operatur etiam contemptum in Dominum rei ablatæ. Mastrius *d. disp. 11. num. 150.*

16. *Quer.* Quotuplex sit Rapina ? *Resp.* Duplex est, una explicita, quando cum armis, & violentia aufert quis rem Domino. Alia implicita, & tres sunt casus. 1. Si Potentes imponant injustas exactiones. 2. Si ipsimet cogant inferiorem ad inæqualem contractum secum in eundem. 3. Si aliquid postulent rogando, quod inferiores non audeant ob metum negare. *cap. Militare, 23. qu. 1. l. Qui catu, ff. ad leg. Juliam de Vi publica.*

CAPUT LXXV.

De Restitutione.

1. *Quer.* Quid sit Restitutio ? *Resp.* Est actus Justitiæ, quo reparatur damnum illatum proximo per injuriam ad æqualitatem rei. Dicitur Actus justitiæ, quia hæc est radix restitutionis, & ideo damna illata contra charitatem non obligant ad restitutionem ; sed quæ inferuntur contra Justitiam, scilicet violando jus, quod proximus habebat in re, vel ad rem. Item dicitur per injuriam. Quæ est duplex ; Aut Materialis tantum, ut si quis domum destruat, rem auferat, credens id sibi licere. Aut formalis, cum quis mala fide rem alienam surripit, vel damnum infert. Vel dici potest culpabiliter, & incul-

pabiliter. Dicitur ad æqualitatem rei ; quia si quis damificavit in centum ; debet ea centum restituere. Mastrius in *Theol. Mor. disp. 7. num. 3.*

2. *Quer.* Quæ sit differentia inter injuriam materiale, & formalem ? *Resp.* Quod qui intulit injuriam, damnumve materialiter tantum ; non tenetur restituere, nisi quod ex re aliena adhuc superest ; vel quantum ex ea ditior factus est. Qui verò formalem injuriam intulit, tantum tenetur restituere, quantum est damnum illatum. Tambur. in *Decal. d. lib. 8. tract. 3. cap. 2.*

3. *Quer.* An præceptum Restitutionis sit Affirmativum, vel Negativum ? *Resp.* Esse Negativum, quia mandat, rem alterius non retineri, vel damnum in bonis temporalibus non fieri Proximo suo. Ita P. Cottonius lib. 2. de Sacrament. Controv. 9. de restitut. cap. 1. num. 6.

4. *Quer.* An ex furtiva ferarum Venatione in loco prohibito, facienda sit restitutio ? *Resp.* Affirmat Bonacina de restitut. quest. 3. punct. 7. num. 22. Negat Diana part. 9. tract. 8. resol. 39. Quia licet quis possit prohibere Venationem in loco, tamen feræ sunt in nullius dominio. Et hæc videtur communior. Nisi essent feræ clausæ in loco murato, quia tunc essent in dominio domini illius loci. P. Cotton. *dict. cap. 1. num. 10.*

5. *Quer.* An restituere teneatur, qui sine culpa damnum dedit, & non est ex eo factus ditior ? Puta si accidentaliter, & inculpabiliter aliquem offendit ? *Resp.* Aliquos affirmare, ex tit. ff. de noxalib. Actionib. & infit. Si quadrupes pauperem secisse dicatur. At id intelligi, si condemnatur per Judicis sententiam. Diana part. 5. tract. 4. resol. 52. P. Cotton. *dict. cap. 1. num. 11.*

6. *Quer.* Qualis culpa requiratur ad inducendam obligationem restitutionis in conscientia ; id est, an debeat esse culpa mortalis, vel culpa venialis ? *Resp.* Quod si culpa est mortalis, absque dubio inducit obligationem restitutionis. Si sit venialis, distinguendum est : aut est venialis respectu materiae, & obligat ad restitutionem sub pœna peccati venialis. Aut culpa est venialis respectu deliberationis ; & in hoc casu non obligat ad restitutionem, P. Cotton. *dict. cap. 1. num. 13.*

7. *Quer.* Quæ, & quanta sint consideranda in materia restitutionis ? *Resp.* Novem circumstantias esse considerandas, ubi de restitutione agitur, quæ his duobus carminibus continentur :

Quis ? Quid restituet ? Cui ? Quantum ? Quomodo ? Quando ?

Ordine ? Quovè loco ? Quæ causa excuset iniquum ?

Ita Tolet. in *Summ. lib. 5. cap. 17.*

8. *Quer.* Sub illo Verbo *Quis* ? Qui sint illi, in quos cadit obligatio restitutionis ? *Resp.* Non solum ille, qui damnum dedit ; sed qui quovis modo fuit in causa, ut damnum daretur, juxta sequentes alios Verfus :

Justo, Consilium, Consensus, Palpo, Recursus.

Participans, Mutus, non Obstant, non Manifestans.

vide Tolet. *dict. lib. 5. cap. 21.*

Q 3

9. *Quer.*

9. *Quer.* Quomodo intelligantur, seu explicentur hæ voces? *Resp.* *Iussio* Significat illos, qui mandant fieri damna. *Consilium*, illos, qui consulunt, ut fiant damna. *Consensus*, illos, qui suffragantur in damno inferendo. *Palpo*, qui laudat inferentes damna, vel exprobratione ignavia excitat ad inferendum damnum. *Recurfus*, qui receptat in sua domo inferentes damna, vel eorum instrumenta custodit. *Participans*, qui habet partem prædæ, aut furti; eo quia cooperatus est in eo. Reliqui tres, qui non impediunt damna aut voce, aut opere, cum ex pacto, vel ex officio, vel ex stipendio ea impedire tenentur. De quibus omnibus infra particulares casus, & quæstia proponentur. Tolet, *ibid.*

10. *Quer.* Ad quid teneatur Adulter, si filius spurcius educetur à Marito adulteræ tanquam legitimus? *Resp.* Teneatur ad relarcicanda damna tum Patri in educatione, tum fratribus in hereditate. Card. de Lugo *disp.* 13. *sect.* 2. P. Coton. *dict.* cap. 1. num. 16. Talem obligationem habet etiam Mater adultera, quæ proinde curare debet, ut spurcius Religionem ingrediatur.

11. *Quer.* An teneatur ad restitutionem, qui ex odio, & animo nocendi operatur, ne collator det beneficium personæ indebitum? *Resp.* Non teneri, quando non utitur fraude, aut vi in impediendo, quia non operatur contra iustitiam, & malum est in effectu, non in effectu. Diana *part.* 11. *tract.* 4. *resol.* 36.

12. *Quer.* An restitutioni sit obnoxius, qui Romæ existens aperit per injuriam Litteras alterius, & cum ex eis intelligat beneficium vacasse, & sibi procurare; præveniando illud obtinet? *Resp.* Negativè secundum Dianam *part.* 5. *tract.* 8. *resol.* 21. Affirmativè secundum Coton. *d.* cap. 1. num. 23. Quia aperiendo Litteras operatur contra iustitiam.

13. *Quer.* An Reus, qui se malis artibus defendit à condemnatione, teneatur in conscientia solvere filco pœnam, quam de Jure erat soluturus; vel adultera dotem, quam maritus lucratus fuisset ex condemnatione? *Resp.* Negativè, quia nemo tenetur ad pœnam ante sententiam; & impediendo sententiam, impedit, ne alter acquirat Jus, non autem Jus quæsitum. Diana *part.* 1. *tract.* 8. *resol.* 29. & *part.* 3. *tract.* 6. *resol.* 35.

14. *Quer.* An debeat restituere, qui accipit eleemosynam, fingendo se mendicum, cum talis non sit? *Resp.* Affirmativè in eleemosynis magnis, quæ dantur in sustentationem egenorum. At in exiguis, quæ dantur ostiatim, non videtur obligatio restitutionis. Diana *part.* 5. *tract.* 6. *resol.* 21. & 40.

15. *Quer.* An restitutioni se adstringat, qui accipit pecuniam pro faciendo opere, qui tenebatur ex Iustitia? Puta ferre sententiam, dare legatum? *Resp.* Affirmativè; quia cum ex Iustitia teneretur, non potest absque offensione iustitiæ accipere pecuniam. Diana *part.* 3. *tract.* 5. *res.* 55. & *part.* 6. *tract.* 6. *resol.* 59. Aliqui id negant, si accipiat pecuniam à tertio, quasi obligando obsequium suum;

sed hæc est opinio periculosa, ut ait P. Coton. *dict.* cap. 1. num. 32.

16. *Quer.* An restituendum sit, quod acceptum est pro re turpi, ut à Meretrice pro carnali copula, ab Assassino pro interfecto homine, à Judice, pro sententia iniqua? *Resp.* Communis sententia est, non esse restituendum. Diana *part.* 2. *tract.* 16. *resol.* 38. Eò quia qui dedit, sponte dedit, pro re sibi grata, quamvis turpi.

17. *Quer.* Si quis mandat occidi Petrum, & per errorem mandatarius occidat Paulum, an mandans teneatur ad restitutionem damnorum hereditibus, vel filiis Pauli? *Resp.* Affirmativè, secundum Dianam *part.* 11. *tract.* 6. *res.* 19. licet alii DD. negativam defendant, quia mors Pauli est involuntaria in ipso mandante.

18. *Quer.* An Jussor, seu mandans teneatur ad restitutionem, si mandatarius excedat Jussionis terminos? *Resp.* Cum distinctione: aut erat facile, & sine periculo observare terminos Jussionis; ut, exempli gratia, quòd de quatuor inimicis unus tantum verberaretur; & in hoc casu, si mandatarius excedat, non est obligatus Jussor, seu mandans ad restitutionem. Aut difficile erat servare terminos; exempli gratia, infligere vulnera, sed non mortalia; & in hoc casu si fiat excessus, Jussor tenetur. P. Coton. *dict.* lib. 2. *controv.* 9. *cap.* 2. num. 52.

19. *Quer.* Quando Consulens teneatur ad restitutionem? *Resp.* Quando Consilium est causa damni in substantia, non autem si in modo. Diana *part.* 3. *tract.* 5. *resol.* 47. Ideo si parato furari decem, consulat furari quindécim, teneris restituere quinque. Si autem parato furari quindécim, consulat furari decem, non teneris ad restitutionem. Hic autem notanda est Propositio damnata ab Innocentio XI. nempe la 39. quæ sic docebat: *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem illius damni illati.* Vide de ea Cardenam *Dissert.* 23. *cap.* 4.

20. *Quer.* An restituere teneatur Mandans, seu Consulens, si ante damnum illatum revocet mandatum, seu consilium? *Resp.* Non teneri mandantem. Sed circa Consulentem distinguendum est, an dedit consilium pro veritate; & cum illud revocet tanquam prius deceptus, non tenetur ad restitutionem; sed si consuluit pro utilitate, exempli gratia, dicendo mulieri, quòd fornicando, multum lucraretur; tunc non videtur liberare ab onere restitutionis sola revocatio consilii. Cardin. de Lugo *disp.* 19. num. 37. P. Coton. *dict.* cap. 2. num. 57. lib. 2. *Controv.* 9. Porro quodcumque qui dedit consilium malum, fecit quantum potuit dissuadendo, ne fiat illud malum; si consultus fecerit ipsum malum, consultor non tenetur ad restitutionem. Reginaldus lib. 10. num. 108. Salmanticenses tom. 3. *tract.* 13. *de rebus.* cap. 1. num. 117.

21. *Quer.* An si revocati mandatum, vel consilium non possit, debeat monere occidendum, ut sibi caveat, ad vitandum onus restitutionis? *Resp.* Diveras esse opiniones Docto.

Erotem. Eccles. Cap. LXXV. De Restitutione. 111

Doctorum; sed tutiorem esse affirmativam, quia ex sua causa occidendus est in illo periculo. Diana par. 4. tract. 2. resol. 14. quæ in Coordinato est tom. 5. tract. 5. resol. 114.

22. *Quer.* Quando consentiens teneatur ad restitutionem? *Resp.* Quando præbuit suum consensum ante damnum illatum, secus autem si postea; unde qui solummodo ratum habet malum, non tenetur ad restitutionem, licet esset Pater, aut Dominus illius, qui damnum intulit, dummodo nesciebat ejus propositum: nam si scivisset, tenebatur compellere. Diana par. 5. tract. 4. resol. 64. P. Coton. lib. 2. Controv. 9. cap. 2. num. 62. & 63.

23. *Quer.* Quando Participans teneatur restituere? *Resp.* Quando fuit causa delicti; id est, quando sine ejus cooperatione non fuisset factum delictum, ut si quis malitiose indicaret hominem occidendum; nisi id faceret metu mortis. Diana par. 5. tract. 4. resol. 63. Coton. d. Controv. 9. num. 64. lib. 2. Salmanticenses d. tract. 13. de restitut. cap. 1. num. 127.

24. *Quer.* An falsi testes, si sequatur sententia cum damno innocentis, teneantur ad restitutionem? *Resp.* Affirmative; nisi eos excusaret ignorantia, vel bona fides; aut esset ex testibus posterioribus non necessariis. Diana par. 3. tract. 5. resol. 105.

25. *Quer.* Qui sint illi, qui restituere tenentur, si non obstant, aut non manifestent? *Resp.* Omnes illi, qui ex Justitia ad id tenentur vel ex officio, vel ex stipendio; ut Tutores, Curatores, Custodes, Judices, Advocati, Medici, Chirurgi, & similes respectu suorum correlativorum. Sed qui tenentur ob stare ex sola charitate, aut obedientia, non obligati erunt ad restitutionem. Coton. dict. lib. 2. Controv. 9. num. 68. Salmanticenses dict. tract. 13. cap. 1. num. 131. & 132.

26. *Quer.* An restituere teneantur testes, qui se abscondunt, & ex eorum negata testificatione nascitur iniqua sententia? *Resp.* DD. esse in diversa opinione, & magis inclinare in negativam, quia materialiter tantum peccant, non formaliter. P. Coton. dict. Controv. 9. num. 70.

27. *Quer.* An restitutio sit imponenda illis, qui non revelant fures, quando publicatur Judicis monitorium? *Resp.* Negative, quia hæc revelatio debetur ex lege obedientiæ, non Justitiæ. P. Coton. ibid. num. 70.

28. *Quer.* An famuli, qui non revelant furta domestica confamulorum, vel externorum, teneantur ad restitutionem? *Resp.* Negative, nisi ipsis sit demandata custodia rei familiaris Dominorum. Coton. ibidem num. 71. Salmantic. dict. cap. 1. num. 134. ubi aliter docent, si extranei furentur res Dominorum suorum, nam ratione famulatus tenentur tueri res eorundem Dominorum suorum.

29. *Quer.* An Principes, & Magistratus teneantur restituere damna illata à latronibus in viis publicis? *Resp.* Si sciant, vias infestari à latronibus, & non curent eos capi, tenentur restituere; quod si morali diligen-

tia utantur, non tenentur. Diana par. 8. tr. 7. ref. 38. quæ in Coordinato est tom. 8. tr. 7. ref. 37. & Coton. ubi supra num. 72.

30. *Quer.* An qui obligatus est ob stare damno ob contractum, seu stipendium, teneatur id præstare cum mortis periculo, & cum majori sui ipsius jactura? *Resp.* Cum distinctione; si malum inferendum offendat Rempublicam, tenetur ob stare; si verò agatur de privatorum bono, non tenetur cum tanta jactura. Sot. lib. 4. de Just. qu. 7. art. 3. ad tertium.

31. *Quer.* An possessor bonæ fidei, si incipiat dubitare, quod res possessa sit aliena, possit eam vendere, & retinere sibi pretium reperto Domino rei? *Resp.* Possit vendere monendo emptorem de suo dubio; pretium verò esse reddendum vero domino, si venditor factus erat locupletior, id est, si gratis eam rem habuerat, vel pluris vendiderat, quam emisset. P. Coton. lib. 2. Controv. 9. de restit. cap. 3. num. 78. & 79.

32. *Quer.* An accipiens falsam monetam bona fide, & illam expendens bona fide, teneatur ad restitutionem damnificato? *Resp.* Negativam sententiam tenet Sylvester verb. Falsarii, quest. 6. Affirmativam tuctur Navarra lib. 3. cap. 1. num. 312. Diana dicit utramque probabilem, par. 3. tract. 6. resol. 3. sed P. Coton. dict. controv. 9. cap. 3. num. 90. amplectitur affirmativam, quia ignorantia excusat à restitutione ratione injunctæ acceptionis; non autem circa justitiam contractuum; & certè qui per ignorantiam emeret vitrum pro gemma, non posset ipsum pro gemma alteri vendere.

33. *Quer.* An res inventæ, quarum ignoratur Dominus, post debitam diligentiam retineri possint, vel debeant tradi pauperibus? *Resp.* Utramque opinionem sustineri à DD. Et quod possint retineri ab invento-ribus, tuctur P. Coton. dict. lib. 2. Controv. 9. cap. 3. à num. 91. & seqq. Et hæc de primo Verbo circa restitutionem, nempe QUIS.

34. *Quer.* Circa verbum: Quid restituat; quænam Regula habeatur? *Resp.* Hanc esse regulam, quod si Res aliena existat in specie, ut dicunt Canonistæ, seu in Individuo, ut loquuntur Theologi, qualitercumque apud alium reperiat, debet eademmet Res in specie restitui. Quod si res usu consummatur, ut pecunia, triticum, debet tantumdem reddi, seu valor rei consumptæ, quando erat possessor malæ fidei; secus si bonæ fidei possessor, Coton. dict. lib. 2. Controv. 9. num. 100.

35. *Quer.* Quid agendum in restitutione, si res melior, aut deterior inveniat tempore restitutionis? *Resp.* Si melior facta sit, restitui debet, sicut invenitur, ut de pullo equino, qui factus sit equus perfectus; sed in hoc casu à bonæ fidei possessore detrahendæ sunt expensæ. Si autem res facta sit deterior, tunc si fuerit bonæ fidei possessor, satisfacit restituendo rem, sicut esse reperitur. Si malæ fidei possessor tenetur etiam ad lucrum cessans, & damnum emergens illius rei. Ita Card. de Lugo de just. & jure disp.

disp. 18. num. 117. P. Coton. d. *Controv.* 9. de restit. num. 102.

36. *Quer.* Ad quid teneatur Possessor bonæ fidei, qui rem alterius consumpsit? *Resp.* Tenetur restituere tantum id, in quo factus est locupletior. Coton. *dict. lib.* 2. *Controv.* 9. num. 106.

37. *Quer.* Si quis emerit rem furtivam bona fide, & eadem bona fide eam venderit, an postea teneatur restituere pretium domino comparenti? *Resp.* Negativè. Quod si pluris vendidisset, teneretur restituere excessum pretii, si provenisset à valore rei; secus verò si ex sua industria. P. Coton. *dict. Controv.* 9. num. 109.

38. *Quer.* Ad quid teneatur Possessor malæ fidei, apud quem res non amplius existat? *Resp.* Tenetur restituere rei valorem, & fructus, seu lucrum cessans, & damnum emergens. Coton. *ibid.* num. 110.

39. *Quer.* Quid juris, si res mala fide possessa à principio valebat decem, medio tempore quindecim, & tempore restitutionis valet solum decem? *Resp.* Tutior opinio est, possessorem malæ fidei teneri restituere quindecim, quia per longiorem detentionem non eximitur ab obligatione valoris illius medii temporis. Diana *part.* 2. *tract.* 17. *resol.* 51. Card. de Lugo de *Just. & jur. disp.* 18. num. 118. Excipe, si verus dominus eam rem medio tempore non erat venditurus.

40. *Quer.* Quos fructus ex re aliena teneatur restituere bonæ fidei Professor? *Resp.* Fructus alii sunt naturales, ut poma; alii industriales, ut mercatura, artificium; alii mixti, ut segetes, & grana. Igitur debet restituere naturales, & mixtos, detractis tamen expensis; nisi esset transactum triennium, quia tunc ex usucapione eos præscripsisset. Industriales autem non tenentur restituere. P. Cotonius d. *controv.* 9. num. 120.

41. *Quer.* Quid juris in Possessore malæ fidei? *Resp.* Tenetur iste restituere omnes fructus, quos dominus ipse erat percepturus ex re sua; licet ipse fur ipsos fructus non percepisset. Ex fructibus tamen industrialibus poterit detrachere expensas, quas idem dominus fecisset. Coton. *ibid.*

42. *Quer.* Circa damna emergentia, & lucra cessantia ad quid teneantur malæ fidei Possessores? *Resp.* Teneri refarcire illud omne, quod offensum, vel ejus hæredes patiuntur, vel in damno emergenti, vel in lucro cessanti ex causa ipsius actionis injustæ; idem mutilator, vel homicida tenetur ad expensas medicamentorum, & ad lucra cessantia ob infirmitatem offensæ. P. Coton. *dict. cap.* 4. *controv.* 9. num. 126.

43. *Quer.* An Homicida teneatur restituere creditoribus occisi debita ipsius occisi? *Resp.* Affirmat Molina *tom.* 4. *tractat.* 3. *disp.* 33. num. 8. Negat Lessius *dub.* 26. num. 151. quia quoad creditores videtur occiso esse accidentaliter; nam poterat debitor mori etiam naturaliter, & debebant creditores cautius agere in contrahendo. P. Coton. d. *cap.* 4. *controv.* 9. num. 129.

44. *Quer.* Circa verbum Cui; restitutio cui sit facienda? *Resp.* Illi, cujus est res ablata, vel illatum damnum, aut utilitas impedita per violationem justitiæ commutativæ sive formalem, sive materiale, non autem Justitiæ legalis; idem non est restituenda poena legalis, quam alter habuisset ex sententia Judicis, si ipsa sententia fuerit impedita. P. Coton. de *restitut.* *controvers.* 9. *cap.* 5. num. 130.

45. *Quer.* Cui facienda sit restitutio ex homicidio? *Resp.* Expensarum, titulo curationis, faciendam esse restitutionem hæredibus occisi, sive hæredibus necessariis, id est, filiis; sive non, id est, extraneis; ratio est, quia occisus ante mortem habebat jus ad illas, & jura realia transeunt ad hæredes. Diana *part.* 5. *tract.* 4. *ref.* 19. Expensarum autem, titulo alimentorum, esse faciendam restitutionem solum hæredibus necessariis. Quod si uxor æque commodis nuptiis potitur, nulla est ei facienda restitutio. P. Coton. *cap.* 5. de *restitut.* num. 135. d. *controv.* 9.

46. *Quer.* Cui restituenda res habita à minore; vel religioso per modum illicitum, puta per ludum? *Resp.* Satis esse, si eidem minori, vel religioso restituatur. Diana *part.* 3. *tract.* 2. *ref.* 98. At donata à Religiosis sunt restituenda Monasterio ex Bulla Clementis Octavi, & Urbani Octavi. P. Coton. *ubi supra* num. 136. d. *controv.* 9.

47. *Quer.* Cui restituenda elemosynæ habitæ à paupere ficto? *Resp.* Sunt restituenda vel dominis, qui eas dederunt, vel pauperibus. Dian. *part.* 5. *tr.* 2. *ref.* 22.

48. *Quer.* Circa Verbum Quantum; si quis culpabiliter det damnum in seminibus, quantum debeat restituere? *Resp.* Alii distinguunt: aut messis erat matura, & totus valor debet restitui; aut adhuc deerat multum tempus à maturitate, & minus est restituendum. Porro arbitrio prudentis viri erit calculandum damnum, & ab eo metienda restitutio. P. Coton. d. *cap.* 5. num. 142. *controv.* 9.

49. *Quer.* Quantum sit restituendum ex homicidio hominis utilis, puta medici, advocati, artificis plurimum lucrantis? *Resp.* Pro vita hominis nihil est restituendum; sed pro damno filiorum calculanda utilitas, quæ eis cessat; & tempus, quod vivere poterat occisus, & sic stabilienda quantitas restitutionis; detrahendo tamen aliquid respectu incertitudinis longæ vitæ. S. Thom. 2. 2. *quest.* 62. *art.* 4.

50. *Quer.* Quantum tempus sit calculandum, quod vixisset occisus? *Resp.* Vel juxta calculum præscriptum in l. *Hæreditatum ff. Ad l. Falcidiam.* Vel ad arbitrium prudentis viri, pensata fortitudine complexionis, & ætate ipsius occisi. Tamb. *lib.* 6. *cap.* 4. §. 3. in *Decal.*

51. *Quer.* An sit obligatus ad restitutionem, qui commisit homicidium casuale? *Resp.* Cum distinctione: vel fuit sine culpa, nempe adhibita omni diligentia; & non est obligatus.

Erot. Eccl. Cap. LXXVI. De Causis excusantibus &c. 113

obligatus ad restitutionem. Vel fuit in culpa, quia non advertit, prout debebat; & in hoc casu tenebitur. P. Coton. num. 150.

52. *Quer.* Circa ly Quomodo, An debitum reale debeat restitui totum simul? *Resp.* Affirmative, quia dividere ipsum in multas partes cum detrimento creditoris non licet. P. Coton. cap. 6. num. 154 d. contr. 9.

53. *Quer.* An restitutio fieri possit per alium? *Resp.* Affirmative, puta per Confessarium; qui, si deficiat in restituendo, adhuc debitorem esse obligatum, alii tenent, alii verò, non esse amplius obligatum; quod probabile dicit Diana part. 10. tract. 16. ref. 97. *Quæ* in Coordin. est tom. 8. tract. 4. resol. 71.

54. *Quer.* An, qui infamavit alterum per impositionem falsi criminis, satisfaciatur retractando, & asserendo, se falsum dixisse? *Resp.* Satisfacere, quamvis aliqui sint DD. qui requirunt ultra retractationem verbalem, etiam compensationem damnorum. P. Coton. dict. cap. 6. num. 156. 157. contr. 9.

55. *Quer.* An qui propalavit crimen alterius verum, sed occultum, satisfaciatur, laudando diffamatum apud eosdem? *Resp.* Tutius esse, quòd se retractet, dicendo: se male, & injuste locutum fuisse; & ulterius verbo, & officiis eundem honorando. Diana par. 11. tract. 6. resol. 56. P. Coton. d. cap. 6. num. 158. & 159.

56. *Quer.* Circa verbum Quando, Restitutio quando fit facienda? *Resp.* Cum primum obligatus potest. Ideò non sunt absolventi, qui, cum possint statim restituere, volunt id committere suis hæredibus; nam sæpe sæpius videmus esse inutiles commissiones testamentarias. Diana par. 5. tract. 3. ref. 104.

57. *Quer.* Quo ordine fit facienda restitutio, quando plures sunt creditores? *Resp.* Debitorem his regulis esse dirigendum. Primò, debita certa sunt præferenda incertis. Secundò, si res aliena extat in specie, est suo domino restituenda. Tertiò, si creditor est hypothecarius, illi est tradenda res hypothecata. Quartò, si plures sunt creditores personales, vel plures hypothecarii, in hoc casu tres sunt opiniones; una, quòd antiquioribus sit prius restituendum. Altera, quòd sufficiat solvere diligentiori. Tertia, quòd singuli pro rata sit satisfaciendum; & hæ omnes opiniones censentur probabiles. Coton. dict. contr. 9. Salmanticens. dict. tract. 13. de restit. cap. 1. punct. 12. per totum.

58. *Quer.* Quo loco fit restitutio adimplenda? *Resp.* In loco creditoris; quòd si creditor nimis distaret, & debitor rem ad illum mittendo nimias expensas esset factururus, tunc iudicio viri prudentis poterat eam rem tradere, vel propinquis ejus, vel pauperibus. P. Coton. d. cap. 6. num. 171.

59. *Quer.* Quibus sit facienda restitutio rei alienæ, si ejus dominus, neque ejus hæredes reperiantur? *Resp.* Esse restituendam pauperibus, ut disputando ostendunt Salmanticenses d. tract. 13. cap. 1. punct. 11. §. 3.

Doct. Clericali Tom. II. Lib. VII.

ubi alia plura *Quæ* sita; & præcipue quòd si ipse debitor sit egenus, potest pro se retinere, vel suis consanguineis pauperibus dare. Ita dict. §. 3. num. 219.

60. *Quer.* An satis sit, si debitor restituat creditori ipsius veri domini, cui alias debetur restitutio? *Resp.* Esse hinc inde opiniones; sed affirmativam tanquam probabiliorē tenent Salmanticenses d. tract. 13. cap. 1. §. 4. num. 221. & ibi DD.

CAPUT LXXVI.

De causis excusantibus à restitutione.

1. *Quer.* Quæ causæ excusent à Restitutione? *Resp.* Causæ excusantes à restitutione sunt sequentes. Videlicet:

1. Condonatio, seu remissio debiti facta à creditore.
2. Damnum, quòd creditori, vel tertiæ personæ ex restitutione obveniret.
3. Impotentia debitoris.
4. Ejusdem extrema, vel gravis necessitas.
5. Ipsius debitoris notabile detrimentum;
6. Ignorantia ejusdem.
7. A quale creditoris debitum.
8. Compensatio facta à debitore creditori suo.
9. Interitus Rei,
10. Præscriptio,
11. Compositio.
12. Spes restituendi omnibus creditoribus, si statim non restituat.

2. *Quer.* An excommunicatio creditoris liberet debitorem à restitutione? *Resp.* Negative. P. Coton. dict. lib. 2. contr. 9. cap. 7. num. 178.

3. *Quer.* An cessio bonorum pariter à restitutione liberet? Negative; quia liberatio foro exteriori à carcere, non autem in interiori, id est, in conscientia. P. Coton. dict. num. 178.

4. *Quer.* An condonatio, seu remissio facta ab occiso ante mortem, liberet à restitutione occisorem, si supersint filii pauperes? *Resp.* In conscientia censet liberare. Diana par. 5. tract. 4. resol. 58. At contrarium tenet P. Coton. ubi supra num. 180.

5. *Quer.* An stuprator Virginis sit liber à restitutione, si Virgo eam remittat, parentibus renuentibus? *Resp.* Esse liberum, quia injuria facta fuit puellæ, & ipsa potest eam remittere. Coton. ibid. num. 183.

6. *Quer.* Qualis necessitas excuset debitorem à restitutione? *Resp.* Necessitas extrema, ac etiam necessitas gravis, qualis est, si debitor decaderet penitus à statu suo, nempe si vir nobilis deberet mendicare, vel in servitutem redigi. At si solum cogeretur dimittere splendorem externum in famulatu, & vestibus, non excusaretur, quia non licet tenere statum solemnem de bonis aliquis; posset tamen in hoc casu concedi aliqua dilatio restitutionis, quæ non esset noxia creditori. P. Coton. d. cap. 7. num. 185. contr. 9.

P.

7. *Quer.*